

dum maximè, secrevisse observabamus, cujus haut exigua pars bullæ caput undique ferè adinstar lanuginis obtexerat, ut inde solito ponderosior illa, atque adeò aquâ, tantillo etiam leviore redditâ, nunc specie gravior, ab ea in sublime pro-
 vehi amplius non posset; simul nos admonens, diutiùs continuandis hisce naturæ lusibus, spirituosiores & corruptioni minus obnoxios liquores vulgari aquâ aptiores esse, quales in hermeticè - figillatis suis thermoscopiis adhibuisse se inquit sæpè laudatus *Dn. Reifelius*.

XIII. In his ipsis autem hermeticè figillatis vasculis, cur idem contingat quod in aliis supernè reclusis, non verò contrarium ut in nostris citra ignis concursum occlusis ac num. VI. descriptis, paucis adhuc dicendum est. Nimirum in his, obturaculo quopiam munitis & vesicâ obligatis, aër aquæ incumbens plenum fervat elaterium suum, & copiâ suâ pauciozem in bullæ cavitate superare facile potest; uti num. XI. proluxius ostendimus: In hermeticè-figillatis autem necessum est aërem liquori supereminentem ab admoto valido igne valdè rarefactum ac elatere solito exutum esse, ut novæ rarefactionis accessione postmodum ex diurno Solis calore tantum acquirere virium non possit, quantum alterius intra bullam contenti integer adhuc elater lucratur, illum adeò vincens eodem modo, ac si vasculum supernè apertum esset.

Causa 6.
Phæn.

XIV. Circa cereas autem pilulas annotata superiùs experimenta ut ad causas suas paucissimis revocemus, illæ quidem aut graviores specie aquâ aut leviores esse possunt, prout expuriore cera detornatæ aut pluribus impuritatibus terreis aliâve graviusculâ materiâ permixtæ fuerint; ita ut nunc aliquid gravius, nunc levius quidpiam porrò admiscendum veniat, si ad aquæ specificam gravitatem quàm proximè debeant accedere. Quod si ergo intra aquam frigidiusculam vix adhuc supernatent, hac ab admoto igne vel calore solari, vel ambiente calidâ, rarefcente ac leviore redditâ, non potest

Causa 7.
Phæn.